

satio, quæst. 1, et hoc sequuntur aliqui canonicæ in cap. *At si clerici*, § *De adulteriis*, de Judic., et favet Gloss. in cap. *Domino sancto*, d. 50, verb. *Necesse*, quæ prius colligit ex illo textu aliquam dispensationem esse debitam, postea vero generaliter infert *peccare Episcopum negando dispensationem, ubi patet ratio dispensandi*, et sequitur ubi Turrecrem., n. 9, qui tamen in cap. *Cum constitueretur*, 50 d., n. 9, triplicem distinguit dispensationem, debitam, prohibitam, permissam. Et nihilominus subjungit omnem dispensationem quæ ex justa causa datur, esse debitam. Quam distinctionem ac doctrinam sequuntur Anton., 1 p., tit. 17, § 20; Rosel., verb. *Dispensatio*, n. 4. Videtur tamen repugnantiam involvere cum tertio membro distinctionis. Quia non dicitur dispensatio permissa per modum actus illiciti, sed quæ non datur per modum juris ac legis, sed ex misericordia in casibus permissis et non præceptis in jure, ut idem cum Archid. exponit: at dispensatio talis licita est; ergo habet justam causam. Unde videtur esse aliqua æquivocatio in verbis illis, quia non est verisimile in verbis tam paucis dici contradictoria. Videtur ergo Turrecrem. tacite distinguere causam justam, id est, ex justitia obligantem, a causa honesta ex misericordia, vel pietate, aut rationabili liberalitate.

20. *Dispensatio quæ licite concedi potest aliquando debetur ex justitia, aliquando non.* — Sit ergo certum non omnem dispensationem quæ potest licite concedi esse debitam ex justitia, vel præcepto, aliquando tamen esse posse. Ita Panormit., Deci., Fel. et alii in dicto capite, § *De adulteriis*; idem Abbas in cap. *Consilium*, de Observat. jejuni., n. 4, et in cap. *Ex parte*, de Consuet., in fine. Qui auctores specialiter advertunt justam seu rationabilem dispensationem aliquando esse debitam, tanquam supponentes pro certo non semper esse debitam; et ita etiam dixit Gloss. in c. *Dispensationes*, 1, quæst. 7, dispensationem non esse jus, interdum tamen esse debitam. Idem repetit eadem Gloss. in cap. *Exigunt*, eadem causa et quæstione. Idem Roderic., t. 1, q. 24, art. ult., in fine; Sanci., l. 3 de Matrim., disp. 10, quæst. 1, qui alios referunt. Et potest satis colligi ex Tridentino, sess. 14, cap. 7 de Reformat., ubi in casu per se justo, ut est occisionis alterius in propriæ vitæ defensionem, dicitur esse dispensatio quodammodo debita. Potest etiam facile probari explicando titulos ob quos potest dispensatio esse debita, extra quos non erit debita, licet possit esse justa.

21. *Dispensatio debita ex præcepto.* — Primo ergo potest esse dispensatio debita ex juris præcepto, ut quoties, assignando aliquam causam dispensationis, utitur verbis præceptivis, ordinando, ut existente tali causa concedatur dispensatio, quod maxime fieri solet in dispensationibus circa pœnas post condignam satisfactionem, ut in dicto cap. *Domino sancto*, ubi id notant Gloss. et Turrecrem. Item Gloss. in cap. *Si quis*, et cap. *Condemnandum*, dist. 50, propter verbum *debet* quod est in textu, quod non cogit, sed consideranda sunt alia verba et materia. Quando vero lex solum concedit ut possit dispensari, non est debita dispensatio, ut notatur in dicto § *De adulteriis*, ex ipso textu. Intelligendum autem hoc est permissive seu negative, id est, ex vi illius concessionis non esse debitam dispensationem, non tamen absolute, ut non possit esse aliunde debita; quia sæpe denotatur per illum modum loquendi concessio potestatis, non vero excluditur obligatio, si aliunde oriri possit, ut notatur in cap. *Cum ex eo*, de Elect., in 6, per ipsum textum. Secundo, potest esse debita dispensatio per præceptum ab homine, ut in dispensationibus quas concedit Pontifex remittens causas ordinariis, vel discreto confessori, mandans ut dispensent si preces veritati nitantur; tunc enim impleta conditione dispensatio debita est.

22. *Dispensatio debita ex natura rei vel ex officio.* — *Dispensatio debita ex misericordia.* — Tertio, ex natura rei potest esse debita de justitia dispensatio, quando est necessaria ad commune bonum, vel vitandum publicum scandalum, vel quid simile. Ita notatur in dicto cap. *Ut constitueretur*, per illum textum, ubi Gloss. et Turrecrem. supra, Panorm. et alii supra citati. Quarto, potest esse debita dispensatio ex officio, ac subinde ex justitia, ubi fuerit necessaria ad spirituale bonum postulantis, vel ad vitandum grave periculum animæ; ratio est, quia Prælati ex officio tenentur providere in his casibus salutis subditi, et hoc maxime sentiunt auctores primo loco citati; hujusmodi enim (ut existimo) vocant *justam causam dispensationis*. Quinto, aliquando, licet causa non inducat debitum justitiæ, potest inducere debitum charitatis et misericordiæ. Aliquando enim dispensare est opus misericordiæ; ita enim interdum jura loquuntur, cap. *Postulasti*, de Cler. excomm. ministr.; at opus misericordiæ interdum est debitum, quando proximus graviter indiget, et sine dispendio potest illi concedi; ergo. Unde tamen fit ut

extra hos casus possit esse justa dispensatio, et non debita. Patet, quia potest esse ex misericordia, vel liberalitate, sine gravi necessitate subditi, et sine præcepto positivo; ergo erit justa, quia ratio misericordiæ cum concessione juris positivi illam justificat, et non erit debita quia nec jure naturæ nec ex præcepto humano. Confirmatur, quia privilegium sæpe est justum hoc modo, et non debitum; ergo et dispensatio. Denique hæc dispensatio dicitur in jure gratia, ut auctores supra citati advertunt.

23. *Causa justa aliquando non excusat a legis obligatione.* — Unde etiam intelligitur quod supra etiam diximus, posse dari justam causam dispensationis quæ per se non sufficiat ad excusandum ab observatione legis. Et consequenter etiam sequitur, si, existente tali causa, subditus petat dispensationem et illi denegetur, non ideo posse statim agere contra præceptum, quia sola justa causa non excusat, et ideo non requiritur tantum dispensatio petita, sed etiam obtenta, quia alias non tollitur vinculum legis. Atque hoc maxime locum habet in dispensatione non debita ex justitia, etiamsi sit debita ex sola charitate, vel misericordia. De dispensatione autem debita ex justitia posset quis dubitare; sed quia illa justitia non est proprie commutativa respectu particularis subditi, sed est respectu communitatis, vel legalis et communis, ideo per se loquendo et pro regula statuendum est, etiamsi dispensatio sit debita de justitia, vel præcepto, et denegetur, non posse subditum contra legem agere, quia injustitia Prælati non tollit legis vinculum. Quare, si lex est superioris, et inferior abutitur potestate sibi concessa, ad superiorem recurrendum est (si non est periculum in mora), qui poterit compellere ut dispenset, ut docet Panormitanus in cap. *Pastoralis*, de Appellat., n. 17. Quomodo autem sit recurrendum, an per appellationem, vel implorando officium ejus et supplicando, tractant juristæ supra allegati; ad eos enim pertinet. Veritas autem est hanc non esse materiam appellationis, sed supplicationis. Quod si sit periculum in mora, et grave nocumentum immineat, tunc episkia uti licebit, interpretando voluntatem superioris, quando materia est capax illius: nam, juxta doctrinam supra datam, etiam hoc posset licere ante petitam dispensationem a proximo Prælato, si peti non posset sine eodem detrimento. At vero, si sit princeps supremus qui negat dispensationem quæ judicatur debita, standum est judicio, seu voluntati ejus, nisi nocumentum tam grave immi-

neat, ut non possit lex humana obligare cum tanto discrimine, quia extra hanc necessitatem lex non relaxata per dispensationem semper obligat.

24. *Dispensatio ex causa intrinseca vel extrinseca quando dicitur.* — Tertia divisio dispensationis quæ ex dictis colligitur, est in eam quæ, attenda ratione legis, ab intrinseco necessaria vel justa est, alia quæ solum per extrinsecam causam justificatur. Intrinsecam causam appello quæ directe opponitur observationi legis, illi impedimentum afferens, vel gravem et onerosam reddens ejus obligationem; extrinsecam autem appello quæ ab aliis circumstantiis extrinsece sumitur, ut ex nobilitate personæ, ex meritis ejus, vel aliis similibus occasionibus. Prius ergo genus causæ sine dubio est maxime proprium, in quo principaliter debet attendi an ratio legis saltem negative cessaverit in tali persona: nam si cessat, licet per se non sufficiat ut lex non obliget, nec etiam ut per dispensationem tollatur si nulla alia ratio suppetat, tamen, supposita illa cessatione causæ finalis legis in particulari, quælibet ratio adjuncta utilitatis vel pietatis, etiamsi nimis gravis non sit, sufficere poterit ad honestandam dispensationem, ut sentit Soto dicta quæstione septima, articulo ultimo, § *Sed arguis*, ponens exemplum in præcepto jejunii. Si vero ratio seu finis legis in tali persona non cessavit, major quidem causa necessaria erit, tamen etiam poterit esse intrinseca, ut est debilitas corporis ad jejunandum, etiamsi alias indigeat jejuniatio ad corporis macerationem, etc.

25. *Causa extrinseca quando est sufficiens.* — Posterius vero genus causæ, quod extrinsecum appellavi, etiam conferre potest multum: imo interdum esse sufficiens, ut notavit Panormitanus, in cap. *Innotuit*, de Elect., n. 5, per illum textum, in quo *personæ scientia, morum honestas, bona fama*, considerantur ad honestandam dispensationem. Et addit Panormitanus solam prærogativam meritorum posse sufficere ad inducendum principem ad dispensandum, licet non concurrat Ecclesiæ necessitas, vel utilitas, utique proxime: nam remote et ultimate personæ merita vel sunt utilia Ecclesiæ, vel illorum remuneratio in magnam Ecclesiæ utilitatem redundat. Et sic etiam D. Thomas 2. 2. quæst. 63, art. 2, ad 2, dixit conditionem personæ, quod dives sit, interdum considerari ad dispensationem, ob communem utilitatem. Et sic etiam Concilium Tridentinum, dicto cap. 18, sess. 25, dixit in dispen-

sando habendum esse *rerum personarumque delectum*; et in sess. 24, cap. 5 de Reformat., inter causas dispensandi ponit *nobilitatem personarum*, quod etiam in jure frequens est. Aliquando vero dispositio personæ confert etiam ad intrinsecam rationem dispensationis, ut in cap. 1 Qui cleric. vel voventes.

26. *Dispensatio semper requirit aliquam causam, saltem extrinsecam.*—Denique ex his patet responsio ad tertiam rationem dubitandi in principio positam; dico enim dispensare in lege sine causa justa non solum esse malum, quia prohibitum, sed ex se, et ex natura rei, ac subinde semper esse malum: jamque declaratum est contra quam virtutem sit illa malitia. Solum superest unum verbum addere de consuetudine concedendi aliquas dispensationes sine causa. Dici autem imprimis potest concedi quidem sine causa intrinseca, non tamen sine aliqua causa saltem extrinseca, considerata ex parte legislatoris ad ostendendam benignitatem suam, vel misericordiam in occasione opportuna. Deinde dicitur, licet non antecedit causa, per ipsam dispensationem et modum ejus sæpe consummari; nam quando datur dispensatio sine causa, imponitur aliqua satisfactio, vel mulcta in pium opus, vel in aliam communem Ecclesiæ utilitatem, per quod opus consurgit causa dispensationis, quæ tunc fit per modum commutationis, sicut etiam in 4 tomo, disp. 54, in concessione indulgentiarum fieri diximus, et in dispensationibus id notavit Ledesma, 2, p. 4, q. 17, art. 3, in ultimis verbis ejus, dicens ad justam dispensationem non semper requiri causam intrinsecam ex parte ejus cui conceditur, sed sufficere extrinsecam, ut eleemosynam, aut contributionem aliquam in subsidium belli contra hostes Ecclesiæ, vel aliud simile pium opus.

CAPUT XIX.

UTRUM DISPENSATIO LEGIS HUMANÆ SINE JUSTA CAUSA DATA VALIDA SIT.

1. *Inferior in lege superioris sine justa causa non potest valide dispensare.*—Distinguere imprimis oportet inter dispensationem datam a legislatore in lege sua, et datam ab inferiori in lege superioris. Nam de hac posteriori omnes fatentur datam sine causa non solum esse illicitam, sed etiam esse invalidam, quia excedit potestatem dispensantis; non enim est efficax voluntas inferioris ad tollendum effectum per superiorem voluntatem constitutum, nisi

quatenus ab ipso superiore est concessum: non est autem verisimile esse concessum, ut hoc possit inferior sine causa. Et ideo tunc inferior excedit formam mandati, et operatur sine potestate, et ideo actum nullum facit. Quod latius probavi l. 6 de Voto, cap. 17, ubi sufficienter auctores allegavi, et omnes statim allegandi in hoc conveniunt, et ideo non est necesse in hoc immorari.

2. *Quæ cognitio causæ requiritur ad validitatem dispensationis.*—Solum oportet advertere communiter jurisperitos docere necessarium esse, ad valorem dispensationis ab inferiori datæ, ut dispenset causa cognita. Sed hoc dupliciter potest intelligi. Primo, de cognitione judiciali causæ, id est, ut secundum ordinem juris de illa inquiratur, et ea probetur. Alio modo potest intelligi de cognitione causæ, quæ in re sufficiens sit, quacumque via, seu diligentia adhibita. Quod igitur ad forum conscientiæ spectat, censeo hanc posteriorem cognitionem sufficere, quia ex natura rei sufficit, et nullum est jus positivum annullans dispensationem datam non servata forma juridica in cognitione causæ. Cujus signum est, quia non solum in dispensationibus inferiorum, sed in dispensatione supremi principis requiri solet cognitio causæ, ut patet ex Tridentino, sess. 23, cap. 8, et tamen constat apud omnes in dispensationibus pontificiis non requiri illam formam cognitionis causæ ut validæ sint. Igitur solum potest illa forma esse necessaria, ut in foro exteriori censeatur valida dispensatio, quia, ubi non præcedit illa causæ cognitio, surreptitia præsumitur dispensatio, ut idem Tridentinum dixit; imo existimo posse hanc præsumptionem elidi in foro externo, si sufficienter probetur causam legitimam interfuisse, quia tunc per sufficientem probationem constabit in foro externo dispensationem esse validam; ergo nulla ratio superest, cur possit nulla præsumi aut pronuntiari, neque etiam cur possit irritari, quia nullum est jus quod hoc præcipiat, vel quod talem penam imponat.

3. Hoc ergo supposito, difficultas est de dispensatione principis in lege sua, et eadem est de quocumque legislatore in sua lege, etiamsi supremus simpliciter non sit, quia eandem proportionem servat ad legem suam. Videtur ergo talis dispensatio semper esse nulla. Primo, quia semper est injusta, ut supra probatum est: ergo semper est nulla. Probatur consequentia, quia lex injusta non est lex: ergo nec dispensatio injusta est dispensatio,

juxta dictum Bernardi l. 3 de Consid., c. 4. in fine, ubi, numeratis causis justæ dispensationis, ait: *Cum nihil horum est, non plane dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Secundo, talis dispensatio etiam excedit potestatem dispensantis: ergo est nulla, quia actus sine potestate factus nullus est. Antecedens patet ex supra dictis, quia superior dispensans etiam in lege sua non operatur ut dominus, sed ut dispensator fidelis et prudens: ergo operatur per potestatem a supremo rectore, ac legislatore Deo concessam; sed non minus Deus, imo multo magis, quam humanus princeps, præsumitur dare suam potestatem adstrictam legibus justitiæ, et illius formam postulare tanquam essentialem in actu talis potestatis, quia *quæ a Deo sunt, ordinata sunt*, multo certe magis quam ea quæ sunt ab humano principe, et ideo dicitur Deus non dare potestatem in destructionem, sed in ædificationem, 1 Corinth. 10; ergo illa dispensatio, quæ dissipatio est, et in destructionem, non est a potestate data a Deo, ac subinde est nulla.

4. Tertio, illa dispensatio non reddit tutum dispensatum, si de defectu causæ illi constet: ergo non est valida. Probatur consequentia, quia si esset valida, tolleretur obligationem legis, et sic redderet subditum tutum in conscientia, quia non violaret legem. Probatur autem antecedens, quia, non obstante tali dispensatione, peccat subditus utendo illa, ut fere omnes fatentur: ergo non est tutus. Respondet Cajetanus peccare quidem, non tamen contra obligationem legis positivæ, quæ per dispensationem ablata fuit, sed contra legem naturæ præcipientis uniformitatem partis cum toto corpore. Sed contra: nam lex naturæ non obligat ad uniformitatem in opere in quo non est uniformis obligatio; sed posita dispensatione valida, jam non est uniformis obligatio respectu talis operis; ergo nec jus naturæ obligabit ad servandam uniformitatem in illo, vel si obligat non obstante tali dispensatione, signum est non esse validam illam dispensationem. Quarto, si princeps posset valide dispensare cum subdito sine causa, et pro sua voluntate: ergo multo magis secum, quia, sicut voluntate sua posita est lex respectu aliorum, ita et respectu sui: ergo eadem absoluta voluntate poterit a se obligationem talis legis auferre, qua potest a subdito. At consequens est falsum, alias nunquam princeps obligaretur illa lege, quia obligatio quæ sine causa et propria voluntate tolli potest, nulla profecto

est, vel nullius momenti, ut supra argumentabar.

5. Propter hæc vel similia argumenta aliqui dixerunt dispensationem datam, etiam a Papa, in lege canonica, esse nullam, nullumque effectum habere, ac subinde æque peccare subditum non servando legem post illam dispensationem ac si illam non haberet, et si lex irritet actum, etiam fore æque irritum post dispensationem. Ita tenet Fortun. Garc. in l. *Gallus*, § *Et qui si tantum*, ff. de Lib. et posthum.; sequitur Mendoz. de Pactis, lib. 1 quæst. 2, n. 35; et in foro conscientiæ idem esse dicendum censuit Loazes de matrim. Reg. Angli., dub. 4, n. 14 et 15; et quando dispensatio affert præjudicium tertio, idem censuit Mincha. lib. 1 Quæst. illustr., cap. 23, n. 16, et cap. 26, n. 6, de cujus sententia dicam solvendo argumenta. Ex theologis vero solus Vasq. inclinatur in hanc sententiam, l. 2, disp. 178, cap. 4, quamvis in fine dicat aliis judicium relinquere. Refert etiam pro hac sententia Glossam, Jas. et alios asserentes talem dispensationem non reddere tutum in conscientia eum cum quo dispensatur; sed illi in alio sensu locuti sunt, ut in solutionibus argumentorum dicam.

6. *Dispensatio in lege sua est valida sine causa justa.*—Nihilominus dico talem dispensationem esse validam, ac subinde habere illum effectum ad quem datur. Hanc assertionem nunquam satis expressit D. Thomas; indicat tamen, in eo quod solum ubique dicit, peccare legislatorem sine causa dispensando, vel non debere dispensare sine causa, ut patet l. 2, quæst. 97, art. 4, et quodlib. 4, art. 13, et sæpe alias. Alii vero theologii, qui quæstionem attigerunt, in hac assertionem conveniunt, ut Cajetanus, dicta quæst. 96, art. 3; Soto, dicta quæst. 6, a. 3, et alii noviores theologii, tam generatim ad dictam quæst. 97 D. Thomæ, art. 4, quam in particularibus locis quos congerit Sancius supra n. 24, ubi etiam refert Summistas et jurisperitos quamplures. Maxime vero tractari solet in c. *Quia in Ecclesiarum*, de Constit., ubi videri possunt Deci., n. 17; et Felin., n. 13, et in § *De adulteriis*, sub cap. *At si clerici*, de Judic., et in c. *De multa*, de Præbend., et in cap. *Ad monasterium*, de Stat. monach., et in cap. *Non est*, de Voto. Quibus locis videri præcipue possunt Innocent. et Panormit., et alii allegati capite præcedenti in principio, et præsertim Covar. in 4, 2 p., cap. 6, § 9, n. 8 et sequent., et Gigas de Pension., quæst. 6, num. 9.